

www.e-rara.ch

Theses medicae chirurgicae, de phlegmone, eiusque curatione

Frid, Johann Sebastian

Basileae, 1588

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12773>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Theses Medicæ Chirurgicæ,
DE
PHLEGMONE, EIVSQVE
CVRATIONE:

Quas,
Favente Deo Opt. Max. ex de-
creto & voluntate Amplissi-
mi gratiosiq; Ordinis faculta-
tis Medicæ in inclyta & cele-
berrima Basileensium Acade-
mia, pro Doctoris gradu in
Medicina consequendo,
defendere cona-
bitur

M. IO. SEBASTIANVS FRID
Phorcensis,

Ad diem 27. Augusti, Anno
M. D. LXXXVIII.



1800

PHILIP

N. B. 1800

CVATITEL

One

Examen des Opérations

de la Chirurgie

par le Docteur

Philippe

de la Faculté de Médecine

de Paris

1800

de la Faculté de Médecine

de Paris

de la Faculté de Médecine

de Paris

de la Faculté de Médecine

de Paris

EXCELLENTISSIMO
ET DOCTISSIMO VIRO, DOMINO
VLTRICO CHELIO, MEDICINAE DO-
ctori experientissimo: Reipub. Argentinenſis
Phyſico ordinario: Domino propinquo,
& alteri ſuo quaſi Parenti reue-
renter colendo,

IO. SEBASTIANVS FRID
S. P. D.



U^m plurima, Vir Clariſſ. eaq^{ue} maxi-
ma & plane paterna abſ te ſint in me
collata beneficia, & conſerantur adhuc
quotidie: tua vero res, DE I beneficio,
eo ſint loco, ut à me gratia referri neque-
ant: habere tamen & agere debeam perpetuo: idcirco ut
aliquod ſaltem animi grati et obſervantiae ſymbolum pro
hoc tempore tibi relinquam, has de Phlegmone Theſes, à
me conſcriptas, tuo dedicare nomini & debui & volui.
Debui quidem, cum non mea, ſed tua quaſi videantur,
qui ultra ſexennium, quo tecum vixi, in me erudiendo,
in quacunque etiam Medicina parte, nullam occaſio-
nem pratermiſiſti: ita ut verè affirmare poſſim, quod tua
potiſſ. fideliffima inſtitutione in ſtudio Medico hucusq^{ue}
progreſſus ſim. Volui autem idipſum quoque, quia non
proſiteri eum, per quem quis profecerit, hominis ſummè
ingrati eſſe putavi. Quapropter ut gratitudinis & ob-
ſervantiae

servantia μνημόσυνον hoc literarium non vel tua vel sua
dignitate metiri, sed donantis aestimare animo, deq^{ue} pro-
na in me propensaq^{ue} voluntate nihil remittere digneris,
ea, qua par est, observantia etiam atque etiam rogo. Da-
bo ego vicissim operam sedulo, ut ea officia cuncta, qua ab
homine grato expectari vel postulari possunt, tibi prom-
pta semper, paratâque fuisse intelligas. Vale quàm
felicissimè: & me tui observantissimum, ut præsentem,
sic absentem quoque, omnibus faustis proseguere.

Act. Basilea 24. Augusti, Anno

1588.

T H E S I S I.



V M. φλεγμονή ή φλόγωσις Græcè, Latine Inflammatio, non raro Medicis, sæpissimè verò Chirurgis, in curatione occurrat, & seuissima quâdoq; excitet symptomata: de ea amicè disquisitionis gratia pauca proponere placuit.

I I.

Ne autem vocabuli ambiguitate error cōmittatur; tenendum, φλεγμονή, Inflammationis nomē triplici potissimūm significatione à rei Medicæ scriptoribus usurpatum inveniri: primò pro omni calore naturæ modum excedente: secundò pro quovis tumore, vel per se, vel per accidens calido: tertio pro eo tumore, qui è sanguine fit; eoq; vel puro, & dicitur Phlegmone exquisita ac legitima; vel impuro, & vocatur illegitima ac minus exquisita: & hæc vel erysipelatoza, si bilis; vel œdematosa, si pituita; vel scirrhusa, si humor melancholicus sanguini fuerit permixtus. Nos hic de exquisita potissimūm, eiusq; generatione, definitione & causis, differentijs, signis atq; curatione agemus.

I I I.

GENERATUR porrò Phlegmone, authore Gal. lib. Art. Med. c. 95. & lib. de Inæq. intemp. c. 2. & 13. Meth. 2. quando sanguis à parte robustiori fluit ad imbecilliozem: à quo primum maiores venæ & arteriæ implentur ac distenduntur, ab ijs deinde minores; atque ita res procedit, donec ad minimas sit perventum: quæ ubi sanguinem diutius continere nequeunt, partem eius per ipsarum oscula, partem per tunicas veluti colatam transmittunt; atque tum spacia ipsa vacua, quæ inter prima sunt corpora, fluxione implentur, ac omni ex parte perfunduntur, ac incalescunt. Ea verò sunt nervi, ligamenta, membranæ, caro ipsa, & ante hæc arteriæ & venæ.

I I I I.

Ex quibus patet, priusquam è venis sanguine repletis aliquid exudet, & in reliquas membri particulas fluat, pro-

priè Phlegmonè nondum esse, sed duntaxat plethoram : in qua etsi venæ sint distentæ, caleant etiâ; tamen non unâ cum illis etiam reliquæ membri particulæ attolluntur et intumescunt, quod tamen in Phlegmone fieri solet.

✓.

Idcirco tùm demum pars Phlegmone laborare videtur, quando quantitatem & molem præter naturam, calorem etiam, colorem & tensionem acceperit.

✓ I.

Vnde eam DEFINIMVS, quòd sit Intemperies calida et humida partis carnosæ vel membranosæ, cum tumore, calore, rubore, tensione, renitentia, dolore et pulsatione, à fluxione proficiscens.

✓ II.

Quoniam autem fluxio alicuius humoris est fluxio, eaque à causis efficientibus, ab uno in alium locum, per medium aliquod spacium fit : tria potissimum circa Inflammationem, quatenus fluxionem habet coniunctam, erunt considerata . Primum materia quæ fluit : secundò locus à quo, per quem, & ad quem fluit : tertio causæ efficientes ut fluat.

✓ III.

Materia quæ fluit, est sanguinea, hoc est, in qua sanguis copia & viribus superior est.

I X.

Locus à quo fluit, potest esse quævis corporis pars, quæ sanguinem in se continet, eumq; à se transmittere potest.

X.

Spacium per quod fluit, aut est amplum; ut venæ & arteriæ: aut angustum; ut vacuitates & spacia membrorum.

X I.

Locus ad quem fluit, & in quo fluxio terminatur, est quælibet corporis pars, quæ venas & arterias in se habet, & in ma-

in maiorem molem ac magnitudinem præter naturam at-
tolli potest.

XII.

CAUSA fluxionis interna refertur vel in partem man-
dantem, vel in partem recipientem.

XIII.

In partem mandantem, quando sanguinem transmittit
ob facultatis expultricis irritationem, vel retentricis frustra-
tionem.

XIIII.

Irritatur expultrix vel per *ιδιονόθεν* ob morbum partis
mandantis, aut vitium sanguinis, aut aliud aliquid ex re-
bus vel necessario, vel non necessario occurrentibus: vel per
συμπόθεν cum parte alia vicina dolente.

XV.

Frustratur retentrix vel per se ob morbum aliquem, aut
peccatum ipsius sanguinis, quando nimirum ob sui copiam
aut tenuitatem erumpit: vel per consensum cum parte alia
vicina primario affecta.

XVI.

In partem recipientem fluxionis causa refertur, si vel at-
trahit propterea, quod eius facultas attractrix est depravata
ob intemperiem calidam, aut dolorem, &c.

XVII.

Vel suscipit & non repellit sanguinem affluentem pro-
pterea, quod eius facultas expultrix vel omnino non, vel di-
minutè agit ob morbum in intemperie, aut mala compositio-
ne, maximè verò laxitate, aut soluta unitate: vel ob vitium san-
guinis, si copiosè & cum impetu affluit, ut facultas obrua-
tur; aut ita tenuis est, ut resistere non possit, maximè si sit de-
bilitata ob dolorem, vel inopiam caloris nativi.

XVIII.

Externæ fluxionis causæ sunt vel res non naturales, &
necessariò occurrentes; ut aer externus: & aut frigidus, ma-
teriam

teriam vel exprimendo, vel calorem intrò cogendo: aut calidus, sanguinem attenuando & liquando. Cibus & potus, modò copia, modò qualitate, potissimùm caliditate peccantes. Consueta sanguinis euacuatio suppressa. Animi & corporis motus inordinati, &c.

XIX.

Vel non necessariò occurrentes, quas declinare possumus: ut ex admo vendis sunt medicamenta acria, unctiões, balnea, &c. ex faciendis, frictiões; ex foris incidētibus, vulnus, fractura, contusio, aut aliud tale quippiam.

XX.

DIFFERENTIAE inflammationis potissimùm à parte fluxionem recipientē petuntur: pro cuius varietate, variae quoq; morborum species constituuntur.

XXI.

Si enim cerebri membranæ inflammatione tentantur, phrenitis dicitur: si oculorū tunicae, ophthalmia: si gurgulio, columella vel uva: si pharyngis glandulae, tonsillae & paristhmia: si faucium & gutturis musculi, angina: si pulmo, peripneumonia: si pleura, pleuritis: si partium laxarum glandulae, bubo: si denique alia aliqua corporis pars, communi nomine Phlegmone appellari solet.

XXII.

SIGNA alia sunt demonstrativa, vel ipsum affectum, vel partem affectam significantia; alia prognostica.

XXIII.

Pathognomonica Phlegmones signa sex potissimùm à Gal. numerantur. Primum est calor: quia sanguis vel sua natura calidus est, vel talis fit à prohibita transpiratione & putredine. Secundum est rubor, tum ob calorem, tum colorem ipsius sanguinis. Tertium est tensio ob multitudinē sanguinis influentis. Quartum renitētia: quando videlicet pars inflammata ob sanguinis copiam ita distenditur, ut tangenti non cedat. Quintum est dolor propter continui solutionem. Sextum pulsatio, quae sentitur ob motū arteriarū, non in spacio
inani,

inani, ut temperie sanitatis; sed pleno & distento, renitēte & sentiente. His septimum potest addi, tumor videlicet; vel omitteri, & sub tensione comprehendi, quamvis non propriè.

XXIV.

Partem affectam significantia sunt, actio læsa: situs: propria accidētia: & doloris proprietas; ut, pars membranosa ex dolore pungēte, carnosae ex dolore extensivo & pulsante cognoscitur. An verò cerebri vel oculorum membranæ, aut laryngis muscoli, &c. inflammatione laborent, ex signis cuiusvis affectus proprijs manifestum fiet.

XXV.

Signa prognostica sumuntur vel à vitio sanguinis, vel à parte inflammata.

XXVI.

A' vitio sanguinis: si nimirū peccat vel copia maiori, maiori etiā difficultate removetur inflammatio: contrā si à paucā materia fiat, insensibiliter & brevi tēporis spacio tolli potest. vel peccat putredine: quæ prout gravior vel remissior est, pro eo etiā facilius vel difficilius ad suppurationē deduci potest. vel qualitate prima, & est calidior; tunc citius terminatur: aut secūda, & est crassior vel viscidior; tunc facilè in scirrhū degenerat. vel motu: & movetur materia ad partē attracta; tunc maius est periculum. ob imbecillitatem, quā si esset transmissa. vel quiete, & parti inhæret impacta: quæ si fuerit vehementer putrida; minatur corruptionem; si crassa, scirrhū, &c.

XXVII.

A' parte inflammata: prout Phlegmone occupat partem principem & nobilem, vel minus principem & ignobilē, pro eo etiam augetur periculum. V. g. periculosior est membranarū cerebri vel pleuræ, quā partis cutaneæ inflammatio.

XXVIII.

CURATIO methodica indicationibus perficitur: quæ desumuntur à morbo, eiusdē causā, atq; etiam à symptomate, si vehementius urgeat, causæq; naturam induat.

B Morbus

XXIX.

Morbus indicat sui remotionem per contrarium. At removeri nēquit persistente adhuc, quæ ipsum excitavit, causa. Omniū itaq; primò causa auferenda; nisi symptoma aliquod violentius priores sibi partes dari, mitigationemq; postulet.

XXX.

Fluxio, communis Phlegmonarum causa, in genere denotat cohibens & removens, cum sit præter naturam: quoniam autem cohiberi minimè potest, nisi eius causa tollatur; idcirco huic omnium primò occurrendum.

XXXI.

Quæ si fuerit externa, & adhuc præsens; tunc indicat sui ablationem per contrarium. V.g. si aer calidior, indicat refrigerans: si frigidior, indicat calefaciens: & sic de reliquis.

XXXII.

Si interna: & fluxionis causa consistat in parte mandante, & transmittente sanguinem, quia eius expultrix irritatur ob morbum, v.g. in intemperie calida; oritur indicatio alterandi & refrigerandi: aut ob sanguinis acrimoniā, mitigandi & obtundendi. vel quia retentrix frustratur ob morbum; is removendus per contrarium: si ob imbecillitatem; pars erit corroboranda: si ob sanguinis copiam vel tenuitatem; oritur indicatio minuendi & incrassandi eundem.

XXXIII.

Si in parte recipiente: & hæc vel sanguinem attrahat ob calorem, oritur indicatio refrigerandi: si ob dolorem, indicatur anodynum. vel sanguinem suscipiat ob laxitatem, indicatur astringens; ob imbecillitatem, indicatur corroborans.

Et hæc de indicationibus à fluxione, quatenus adhuc sit, eiusq; causis, desumptis.

XXXIV.

Cessante nunc & cohibita fluxione, pars ipsa Phlegmone laborans in integrum est restituenda: quæ cum duplici ratione à natura recesserit; & quòd multo sanguine sit repleta, &

ta, & quodd eadem sit calidior; utiq; etiam duplex erit indicatio: una evacuandi, altera refrigerandi.

XXXV.

Evacuatur materia, quia vel transfertur ad alias partes, vel è corpore educitur; semper tamen prius habita ratione totius.

XXXVI.

Transfertur sanguis ad alias partes, venas scilicet vel arterias maiores, si adhuc in membri inflammati minoribus vasis continetur, & nondum effluxit, vel revellendo, vel derivando, vel repellendo.

XXXVII.

Revellitur sanguis, & retrahitur ad debitam partem oppositam, vel venæ sectione, & alijs præsijs aliquam evacuandi vim habentibus (sic enim partes inanitæ naturali desiderio repleri cupiunt:) vel calore, & medicamentis propter calorem attrahentibus, alijsq; quoquo modo calorem excitare valentibus in parte membro inflammato contraria.

XXXVIII.

Derivatur sanguis suo principio interno, suaq; natura, ad locum vicinum per vias convenientes, ex Anatomia cognitæ, si earundem obstructions aliq; impedimenta removeamus. Quodd si insuper talia adhibeamus, quæ quoquo modo humorem loco movere possunt; tunc motus erit ex revulsione & derivatione quasi compositus.

XXXIX.

Repellitur sanguis frigidis & astringentibus, quæ constringendo partem, humorem quasi exprimunt; & refrigerando eandem, humoris impetum intercipiunt. Quæ tamen interdum admittuntur, interdum prohibentur.

XL.

Si admittuntur repellentia, cautè sunt usurpanda: & observandum primò, ne ea adhibeantur in Quantitate minori, & sic nihil præstent; vel maiori, & dolorem exasperent, aut

humorem in partem nobilem præcipitent, aut eundem crassiores reddant. Ideò dosin denotabit sanguinis vehemètia.

X L I.

Secundò, ne administrentur, quo ad Qualitatem & Modum, semper actu frigida; sed quandoq; tepida; quandoq; in forma magis liquida vel solida, prout sanguis vel crassior, vel tenuior erit, & virtus ipsius partis permiserit.

X L I I.

Tertiò, ne usurpentur Tempore minus cōvenienti; sed ut plurimum in principio inflammationum, quando materia adhuc est pauca, & maxima pars cōtinetur in venis tum maioribus, tum minoribus: quandoq; in augmento: quandoq; in statu; sed tum plærunq; refrigerandi causa.

X L I I I.

Postremò, quo ad Locum, ne admoveantur indifferenter: sed interdum apponantur super ipsum locum affectum, si astringendo magis sanguinem exprimere debent: interdum non ipsi parti affectæ, sed supra eam imponentur, ut à longo arceant humoris influxum, eiq; viâ ad partem affectam præcludant.

X L I I I I.

Si prohibentur, tunc hoc fit, vel quia totum corpus est repletum: vel humor ad membrum confluit pravus & pestilens: vel deniq; locus ex se minimè est aptus; aut quia à natura ad superfluitates recipiendas est destinatus; aut quia membro nobili vicinus; aut quia ob profundiorē situm plenior evadit, propulso humore ab exteriorib. ad interiora magis. Et hæc de transmissione materiæ.

X L V.

Educitur materia è corpore per partem inflammatam, quando iam è vasis effluxit, & in membri inanibus spaciolis sive porositatib. continetur; vel insensibiliter, vel sensibiliter.

X L V I.

Insensibiliter partim à natura, & calore tū naturali, tum præter-

præternaturali: partim à medicamentis calidis & siccis, materiam sanguineam in halitum solventibus.

XLVII.

Quorum solventium, vel discutientium, recta administratio consistit vel in Quantitate iusta; ne validioribus plus attrahatur; aut quod tenue est, dissipetur, crassum verò in scirrhum abeat. quæ indicatur ab actione ipsius sanguinis: & hæc si fuerit vehemens, etiam in maiori quantitate; sin minus, in minori erunt admovenda: modò nihil prohibeat.

XLVIII.

Vel in Qualitate prima; & plerumq; actu calida adhibenda: vel secunda; & imponenda in forma vel solida, si sanguis sit crassior; vel liquida, si tenuior.

XLIX.

Vel in Tempore legitimo: & tunc adhibenda, si præsens est indicans, ipse nimirum sanguis extra vasa consistens; & nihil impedit. Idcirco secundum Gal. in declinatione pura solventia administranda: in statu, solventium & repellentium par pondo: in augmento, solventia superent repellentia: in principio, hæc illa.

L.

Vel in Loco convenienti: ut nimirum imponantur ipsi parti inflammata; cum materia ibi subsistat, & per locum affectum sit educenda.

Et hic curandi modus, per discutientia insensibiliter factus, optimus iudicatur.

LI.

Est verò & aliud, quando materia concoquitur, & sensibilibiter educitur. Quæ curandi ratio non adeò vehementer exoptanda: cum concoctionem duo necessariò consequantur, puris generatio, & eius in aliquem locum abscessio.

LII.

Quapropter, si fieri potest, primo modo Phlegmones curatio perficienda, sin minus; & nec calor nativus extraneum,

nec extraneus nativum vincat; ita ut neq; digestio, neq; corruptio sequatur, sed æqualis sit pugna inter utrumq; calorē; & nativus tentet materiam in halitū vertere, extraneus verò eandem putrefacere: tertium omnino resultabit; quod neque digestio est, neque corruptio, sed puris generatio. Ideò Medici officium tunc erit, naturam adjuvare medicamentis pus moventibus: modò materiæ malignitas non impediat.

LIII.

Quòd si igitur tumor in parte inflammata non est parvus; dolor, aliàs magnus, augetur; pulsatio adest dolorifica; tensio non exigua; tentata etiam ex parte auxilia prius enumerata: minimè immorandum in primò curationis modo; sed festinandum ad secūdum, & omni ratione efficiendum, ut pus generetur bonum.

LIIII.

Quod fiet roborando calorem nativum medicamentis partis temperaturæ similibus. Et quia natura humana ut plurimum calida & humida est: medicamēta quoq; pus moventia, in genere modicè calida & humida erunt; in specie verò, pro ratione temperaturæ partis, nunc temperata, nunc magis, nunc minus calida. Præter hæc autem oportet, ut etiam sint emplastica, & parti tenaciter inhereant, vel ex se, vel alijs admixtis; quò caloris nativi spiritus halituosi includantur: in quo uno concoquentis naturæ robur est.

LV.

Suppurata inflammatione, materia per partem affectam educenda, vel insensibiliter per digerētia, non tamen admōdum acria (quamvis hoc rarò à nostris Chirurgis observetur: sed quamprimum pus adesse animadvertunt, statim ad incisionem, non usque ad eò tutam, & quam sæpe fistulæ consequi solent, confugiunt:) vel sensibiliter; & vel natura, vel arte.

LVI.

Naturā, quando eousq; expectamus, donec ipsa natura rūpat abscessum: id quod fit, dum puris copia sensim & sensim cu-

sim cutim erodit, & tandem effluit. Sed cum hæc naturæ operatio interdum nimis tarda sit, & æger interim dolore exagitetur, non usque adeo probatur.

LXII.

Arte: & vel ferro, vel medicamentis.

LXIII.

Ferro: quando exolvitur vis medicamentorum discutientium ob puris copiam, tunc abscessus incidendus; non tamen temere: sed observandum primò, ut incisio fiat in ea parte, quæ vel eminentior est ob cutis eo loci tenuitatem, vel situm declivem habet in parte inflammata: secundò, ne nimia sit, tum propter cicatricem, tum propter partis imbecillitatem: postremò, ut instituat, si fieri potest, inscio ægrotante.

LXIV.

Evacuata hac ratione materia, Phlegmone in aliud genus morbi transit, in Vlcus apertum. Pro cuius curatione, causâ solutæ unitatis, agglutinandum; ratione portionis deperditæ, caro regeneranda.

LXV.

Quoniam autem agglutinare & regenerare carnem solius est naturæ opus: ideo Chirurghi officium erit, tantum remove ea, quæ naturam impedire possunt.

LXVI.

Cuiusmodi sunt, primùm dolor: qui leniendus, ne nova materia affluat. Deinde reliquiæ crudæ, & ulceratæ parti impastæ, concoquendæ & suppurandæ. Tum gratiâ regenerationis carnis duplex excrementum, tenue & crassum, quod producit, tollendum: tenue quidem, cum reddat ulcus humidius, exiccantibus citra morsum; crassum verò, quia reddit nlcus sordidius, detergētibus. Causâ verò agglutinationis, quoniam hæc impeditur à copioso alimento, ideo respiciendum ad humiditatem: quæ si est appositâ, tunc utendum exiccantibus; sin minus, reprimētibus & astringentibus.

Absoluta

LXII.

Absoluta materiae superfluae evacuatione, nativa membri temperatura, modò adhuc sit alterata, integræ sanitati restituenda erit, remedijs in contrarium alterantibus & refrigerantibus, deinde corroborantibus.

LXIII.

Quantum autem in contrarium alterandum sit, indicabit magnitudo intemperiei: quæ quantum à naturali statu recesserit, cognitum fiet, si in memoriam revocemus naturalem ipsius partis temperaturam; quæ non solum quantitatem medicamentorum, verum etiam usum denotare poterit. Et hæc de Phlegmone in genere dicta sufficiant. Quæ enim speciatim facienda, periti Medici & Chirurgi prudentiæ committimus.

